

# THESES,

QUAS,

CONS. MAX. VENER. FACULT. THEOL.

IN EXERCITATIONEM  
STIPENDIARIORUM AD ACADEMIAM  
IMPERIALEM ABOËNSEM,

EXHIBET

*HENRICUS SNELLMAN,*

*Theol. Doct. & Professor, Imper. Ord. de S. Wolod, in IV Cl.  
Eques, Stipendiariorum h. a. Inspector,*

RESPONDENTE

*CLAUDIO ALB. TULINDBERG,  
Stipend. Publ. Ostrob.*

In Auditorio Philosophico die XII Junii MDCCCXXII.

horis a. m. solitis.

---

A BOÆ,

ex Officina Typographica FRENCKELLIANA.



## I.

**N**on quidem omnes, quas animo conceperunt homines, de cognatione nostra cum mundo quodam celsiori approbandæ sunt hypotheses, quia potius, si ad decreta rationis rite exigantur, falsas earum multas fuisse atque noxias, impeditas plurimas atque perturbatas facile perspicimus; at firmum tamen manet & indubitatum virtutem nostram, quo certius cum ordine rerum suprasensuali, quem dicunt, conjunctos nosmet esse credamus, sentiamus, eo magis indefessam fieri & sinceram. Homo enim finitus, ut ad infinitum illud, quod virtus sequitur, tendere poscit, in hoc ipso sensu suscipiendo feliciterque persequendo, & notione eget infiniti, & sensu quodam atque experientia praesentis sibi commercii cuiusdam cum vera infiniti sede & patria.

## II.

Hæc autem virtutis elementa & principia cum sola expeditet Religio, sumnam ipsius in virtute vera necessitatem quis insitiabitur? Unde eos debitum omne Religioni non flatuere censemus pretium, qui Eam virtutis cultum adjuvare tantum perhibent. Est enim Religio quoque causa virtutis atque genetrix: notionem ipsam virtutis perficit, amorem virtutis movet atque diligentiam, & quo tendat recti studium atque honesti una sufficienter nos docet.

## III.

Siquidem Rationis, legem dicitantis & officia, ea est vis & auctoritas, ut ad morem illi gerendum sanus quisque obli-

gatum semet sentiat; officia nostra quævis ad reverentiam Rationi præstandam jure referunt morum Doctores. Sed ad laudatum si insimul attenderimus Rei Moralis cum Religione nexum arctissimum, ea tamen singula ad Pietatem quoque pertinere, id est Deo etiam deberi, nemo nostrum non confitebitur. Quæ utraque virtutem docendi via cum Religionis Doctori sit servanda, ita Rationis urgeat dignitatem, ut ad Deum ubique ducat; ita pietatem auditorum inculcat pectoribus, ut virtus, cum Religione quamvis cohæreat, libera tamen, conscientia duce, semper maneat.

#### IV.

Præcipitati quidem atque immritis est judicij atheismi vel impietatis eos arguere, qui vulgatam rejiciunt & antiquitus receptam officia erga Deum commemorandi consuetudinem; neque enim Dei ideo hi tollunt existentiam, neque pie Eum colendum ideo negant, quod cultum, quo prosequendus est, haud satis apto proponi modo existimat. At qui tamen, re propius penitata, quæstionem rite ponderaverit, minus ille idoneis sententiam eorum superstrui rationibus facile nobiscum videbit. Nam quamvis nullum nobis jus in Deum competit, neque ulla Ipsius erga nos homines cogitari possint officia, Author tamen existentiæ nostræ quum sit Ens optimum, sapientissimum atque sanctissimum, ea quæ bona sunt, quæ sancta, quæ consiliis Ipsius sapientissimis convenientia ab Eo, haud quidem postulare, sed certo certius sperare possumus; & quamquam eodem, quo in homines, officiis erga eos implendis, agimus modo, in Deum agere nos non queamus, in eos tamen Ipsius fines, quos ut promoteamus libertati nostræ reliquit & conscientiæ, & agere possumus & quotidie agimus. Sic singulas, quibus excellimus, facultates, eo nobis largitus est consilio ultimo, ut ad virtutem querendam, confirmandam, amplificandam sedulo eas adhibeamus; cui vero fini Ipsius benignissimo, id est Deo ipsi, aut repugnare possumus aut obtemperare. Præterea, quantumcumque Rationis

tibi

tibi persuadeas auctoritatem, vereor tamen ne frigidiori Deum  
tibi repræsentes pectore, ne remissiori Eum prosequaris amo-  
re, reverentia & fiducia, nisi, in intimis saltim animi recessi-  
bus, ea temet cum Deo conjunctum esse cogites relatione,  
ut officia Illi Ipsi a te præstanta fatearis atque sentias reli-  
giolissima.

V.

Quantulum id cumque fuerit, quod de conditione nostra  
post mortem futura judicare nos quidem possumus, tamen, ut  
cara sit nobis virtutemque nostram promoveat spes immortali-  
tatis, non tam conjectura auguramur, quam confidimus potius,  
arctissimo illam cum vita in terris acta cohæsuram vinculo, ita  
ut quam meriti hic simus sortem, eadem, accommodata ad  
futurum nostrum, fata post terrestria, existendi modum, ibi  
nos maneat; unde conscientiam personalitatis nostræ animam,  
morti superstitem, comitaturam & confitemur & credimus.  
Dein, quum in eo consistat destinatio nostra moralis, ut ad  
majorem in infinitum tendamus cum Deo similitudinem, pro-  
certo statuimus ceteris etiam, quarum auxilio virtutis incre-  
menta habentur, vel ibi, instructos nosmet fore animi viri-  
bus, occasionesque, hunc in finem eas adhibendi, summo Dei  
beneficio, venturo hoc in statu, nobis adfuturas.

---